

Q. D. B. V.  
De

8  
12  
10 45  
1654 18  
21

# AQVIS SUPRA- CELESTIBUS

EXERCITATIO PHYSICA.

*Quam.*

In Illustri Academiâ Wittenbergenſi

A. D. xv. martii A. C. cl̄o l̄oc̄ LIV.

P R Æ S I D E

M. CHRISTOPHORO POMARIO,  
SILESIO,

*Disquisitioni publicæ exponet*  
RESPONDENS

CHRISTIANUS EHRENSPERG


Craulâ Thuringus.

*In Auditorio Minori, Horis matutinis.*

---

Ex Chalcographéo JOHANNIS HAKEN.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI!

**A**dmirado planè ac sapienti cõsilio tẽperavit Naturã Nature Sator ac sospitator Deus, non patentem ubivis ac apertam, sed latentem quoq; ac opertam in sanè quàm multis eam dum voluit. Eo quidem, arbitror, fine, ut & exerceremus in difficilioribus, & oblectamenta caperemus ex liquidò manifestis. Liquet ex arduã illã de ortu Formarum ortusq; spontanei materiã, quæ Naturæ consultissimis quoque negotii laceffit plus satis, ipsiq; tantum non illudit imagine polydadalã. Liquet ex Qualitatum à Formis promanantium imagine, quarum incredibiles ac stupendas vires, nè ipsa quidem haut rarò nomina, plenè ac prout par erat ullã cogitatione aut linguã assequi cui liceat? Liquet ex Consensu & Dissensu Corporum Naturalium, qui ex earundem Qualitatum similitudine juxtã ac dissimilitudine principem ducunt originem, & eludere videntur persapè omnem humani ingenii judicii; aciem. Et quid plura? Ipsa quoq; Corpora Nat. quis unquam numerando omnia percensuit aut cognovit? Multi pisces in mari, multæ aves in aere, multa item gresilia & reptilia in terrã, nobis incognita sunt. Dubio procul maxima pars eorum, quæ scim9, est minima eorũ quæ nescimus. Certe paucissima ex operibus Domini à nobis cognoscuntur, scribit Ecclesiasticus cap. XLIII. v. 35. Et sapientissimus Romanorum Seneca l. VII. Nat. Q. c. XXX. Quàm multa præter hos (Cometas) per secretum eunt, nunquam humanis oculis orientia? Neq; enim omnia DEUS humanis oculis nota fecit. Proinde haut præter rem cum rerum naturalium scientissimo Lucretio exclamandum est lib. II. de Rer. Nat. v. 14. seqq.

*O miseras hominum mentes, ò pectora caca!  
Qualibus in tenebris vitæ quantisq; periculis  
Degitur hoc evi quodcunq; est.*

Usq; adeò post infelicissimum Adami lapsum non in tenebris,

sed tenebræ ipsi sumus, etiam in Naturalibus, non in Spiritua-  
libus tantum. Unde *in luce rerum tenui caligamus, in medio-  
cri cacutimus, in majore cæci sumus, in maximâ insanimus*: verba  
sunt Scaligeri Ex. 131. Succurrit tamen huic extremæ homini  
caligini divinissima sacrorum Pandectarum lux, & quæ Natura  
quandoq; altum tacet, de eo Scriptura ipsa, fusis à aper-  
tissimeq; explicat: & sicubi natura fugit sensum omnem ac ra-  
tionem, crassissimas ignorantia nubes fugat Scriptura. Hos  
duos Libros proposuit cunctis Dominus, unde scire possumus,  
quicquid discere nobis apprimè volupè ac utile est.  
Hoc geminū illud ad cognoscendū res naturales mediū. Alterū  
ubi desinit, ibi incipit alterum.

--- --- --- *Alterius sic*

*Altera postulat opem res, & conjurat amice,*  
ut habet *Horat. Arte v. 410.* atq; & hæc & hæc sororio quodam  
quasi vinculo ita conglutinata sunt, ut sejungere in Physicis  
quoq; nec possis, nec debeas temerè. Atq; ut longius nè abe-  
am, juvat impræsentiæ in nostrâ de *Aquis Supræcelestibus*  
Disputatione tam generosâ quàm laboriosâ subsistere. Has do-  
cet nos Liber Scripturæ, non Naturæ: natura enim tota altissi-  
mum quasi silentium videtur fovere de istis. Veneremur igitur  
merito & grato pectore acceptemus divina hæc informatoria,  
digni tanto honore tantâq; inventi felicitate, ut tum exordiū,  
tum mediū, tum exodiū scientiæ operū naturalium à voce principali  
procedat Conditoris Maximi. Et quandoquidem perpauca de  
profundissimo hoc Aquarum Oceano ex inexhausto sacratissi-  
marum Litterarum Oceano nobis revelata sunt, pauca quoque  
sint necessum est, quæ nos in præsens in medium allaturi sumus.  
Verum cogitabunt Boni quique ac nobis benè cupientes, *Eti-  
am non affecit voluisse abundè pulcrum atq; magnificentissimum esse, cum*  
*Plinio Pref. H. N. qui & Pref. Lib. LIII. Hanc ullo in genere ve-  
nia justior est, inquit, si modò minimè mirum est, hominem geni-  
tum non omnia humana novisse.* Eapropter quod possumus hoc  
agemus, tanquam economi moderati, *Scal. Ex. CCCLVII. 21. Age-  
mus ut quimus, quando ut volumus non licet, ex Ter. Andr. V.  
V. 10.* Honestum enim etiam est prima sequentem in secundis  
ter-

tertilisve subsistere. At tu, qui finxisti sapientipotente manu tuâ Aquas has, & supra celos collocâsti mirificissimè, vide adjuvâq; has contemplationes nostras, & verte in tui laudem ac nostrâ frugem feliciter!

THEMA I.

Dantur Aquæ Supracelestes.

I. Κατασκευή.

§. 1. De Existentiâ Aquarum Supracelestium, *An sint?* principem hæud abs re disputationis nostræ Positionem ponimus. Has autem in Naturâ dari, ex S. Codice, tanquam communi omnibus omninò hominibus & cognoscèdi & probandi principio argumentis invictis adstructum imus. Quod autem affirmat S. Scriptura, hoc affirmet & Physicus. Quin̄ minimus apex ex sacris monumentis omnibus humane sapientie argumentis præferendus. Quis enim conditori nature de naturâ differenti non crederet? censeat Bartholinus Proem. Phys. Gen. Sed de Aquis his Sp. S. disertè & exsertè nos informat Gen. I. 6. Dixit DEUS: יהי רקיע בתוך המים והי מבדיל בין מים למים: Id est, *Esto expansum inter aquas, & dividat aquas ab aquis.* Et Fecit DEUS (v. 7.) expansum, quo distinguit inter has aquas que sunt ab infra expansi istius, & aquas illas, que sunt דרקיע מעל à regione superâ expansi: LXX. ita: τὸ ὑδατὸς τὸ ὑπὸ τῶν ὕδατων τὸ ἐπέωρα. Et fuit ita. Expansum autem hoc Deus vocavit celum.

§. 2. Dicitur hîc igitur, in primâ mundi conditione aquarum divisionem fuisse factam, & partem alteram quidem supra celum, subter celo locatam alteram, indeq; ortas Aquas Supracelestes, non allegoricas aut phantasticas, sed veras & propriè sic dictas. *Melior enim pars Theologorum semper intellexit aquas propriè dictas, quas Deum singulari & mirabili ratione supra firmamentum vel celum stellatum verè & realiter reposuisse defendunt:* ait B. Meisn. P. i. Phil. Sobr. f. 3. c. 4. q. 3. p. 830. qui eod. l. urget

A j

magno-



magnoperè evidentissimum Textum, in quo sermo fit, tum de illo Firmamento seu Expanso, quod Deus vocavit, celum, & in quo posuit Luminaria magna; tum de Aquis talibus, quæ & verè existunt, & perpetuò durant, & ejusdem speciei sunt cum inferioribus. Quare, concludit tandem, nisi Textui Mosaico, qui tamen simplicem continet historiam & rudi populo est propositus, vim facere aperiem velimus, aliud nihil, quam aquas propriè dictas, primò congregatas, post sequestratas, & supra firmamentum verè locatas intelligere possumus. Assumit & argumentum Topicum ab Etymologiâ celi petitum.  $\text{שמים}$  Venim videtur esse vel quasi  $\text{שמים}$  &  $\text{מים}$ , quod celum sit q. sustentaculum, aquarum: vel à  $\text{מים}$  seu  $\text{מים}$  &  $\text{מים}$  quæ nominis ratio situm celi subinnuit. Quamquam Talmudistæ ab  $\text{שמים}$  &  $\text{מים}$  maline apud Buxt. Lex. p. 820.

§. 3. Producimus potiùs loca Scripturæ parallela, Psal. CIV. 3. Ps. CXLIX. 4. Et Cant. Socior. Danielis v. 60. Unde pro Aquis supracelestibus (nulla autem pro nubibus, earum enim specialis ibidem paulò post recitatio instituitur) collectio est. Quibus addimus Patrum clarissima testimonia, Justin Martyris Theodreti, Basilii, Damasceni, Augustini, quos laudat Meisn. l. d. Et his  $\text{ὁμοίως φερεται}$  Exc. SPERLING. Instit. Physic. 3. c. 2. item Symops. p. 104. Scaligerum Exerc. CCCLXI. m. Fr. Vallesium de S. Philos. cap. 1. p. 32. Mendozam Disput. 3. de opere sex dier. s. 3. §. 29. Eandem sententiam approbatam Genadio, Ambrosio, Bedæ, Philoni & Josepho auctor est Wendelinus Contempl. Physic. sect. 3. c. 2. §. 13. p. 93. Idem nobiscum sentiunt B. Luther. in c. 1. Gen. f. 6. §. 7. D. Vincent. Schmueck in Gen. 1. v. 6. D. Helvicus Vindicis Locor. S. S. re V. T. p. 55. ad Gen. 1. v. 6. 7. 8. D. Friedlieb Theol. Exeg. in Gen. 1. class. 7. q. 16. D. Waltherus Spongiâ Mosaicâ sup. Gen. 1. v. 6. 7. 8. p. 52. seqq. ubi & alios Theologorum citat. Per aquas ergò superiores simplicissimè inhaerentes litteræ intelligimus aquas, quæ sunt supra firmamentum divinâ virtute collocatæ, 1. ob clarissimam textus Mosaici litteram. 2. ob parallelorum Scripturæ dictorum consonantiam. 3. ob veneranda antiquitatis  $\text{ὁμοίως φερεται}$ : verba sunt magni



magni Gerhardi Disp. XI. *Ψαλογ.* Vide Eund. To. 2. L. de Creat.  
§. 25.

II. *Αναστυνη.*

§. 4. Quandoquidem pro vero non pugnat, nisi qui & falsum oppugnat, etiam hæc altera nobis insumenda hic opera est. Non tamen frustrâ. Nam & in ipsâ Græciâ Philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus disensionibusq; viguisset, ait Tullius l. II. Tusc. Et Scal. Ex. CCCVIII. ex-  
er. Adversarius suâ vel pertinaciâ vel sapientiâ mihi duplex Magister erit.

§. 5. Multa igitur multi contra τὸ ἢ ἕσι Aquarum harum Supræcelestium afferunt. S. Amama *Antib. Bibl.* p. 284. §. 298. de Aquis nubium exponit, τὸ ὕψῳ aerem interpretans, ex R. Kimchi ad Ps. 77, 20. & Chaldæo Paraphraste Ps. 19, 1. In cujus sententiâ ex Calvinianis alii eunt, nominatim Keckerman-  
nus, Timplerus, Danæus, Drusus, Afftedius, qui cum non possint rationis suæ decempedâ metiri & capere, quom. hæreant, aquæ in loco supremo, existimarunt, eas explicandas esse per metæora Aquea, nubes vel pluvias. Consentunt quidam ex Pontificiis iisq; Peripateticis (V. Peretiû l. i. in Gen. n. 87. §. 88.) vel eò fortassean quòd Aristotelem nihil quicquam de his tradi-  
didisse in apriço est. Nè ergò concedere cogantur, Aristotelem aliquid ignorasse in Physicis, fatiùs multò consultiusq; fieri au-  
tumant, eas prorsus si negitent.

§. 6. Urgemus contra (i. Divisionem aquarum in Textu Mosaico, quæ nihil aliud est, quàm Totius integralis in suas partes dissectio, ut hoc in loco sit ista pars aquæ, & alio loco alia pars aquæ. At fiunt nê nubes per Divisionem aquarum? non fanè: sed per resolutionem. Neq; vapor per divisionem, sed ex resolutione aquæ fit. Jam autem ex pluribus vaporibus oritur nubes. Primum aqua est resolvenda in suas atomos, post eum hæc resolutâ aquâ conjungendi sunt igniculi, & hæc ratio-  
ne vapor ascendit, ac nubes oritur. Non enim propter aquam, terram aut aerem (cur enim non iste quoq; aer, qui circa nos  
est,

est, ascenderet. ?) sed propter ignem adscendit vapor. (2. Vapor differt quàm maxime ab aqua. Ipsi dicunt, quod vapor sit corpus mistum, & quidem imperfectè mistum, sicut & fumus: aqua autem est corpus simplex, ubi tantùm est aquæ natura, & essentia. Hæc sola non facit nobis vaporem, sed deprehenditur in eo substantia ignis & aeris. Corpora mista non formantur per divisionem elementorum: ad corpora mista requiruntur plura miscibilia. Ostendantur ergò ista plura miscibilia, si solùm aqua dividitur. Per illam ergò aquarum divisionem nova saltim disjunctio indicatur, nulla destructio. At in vapore fit destructio: mutatur enim ibi & nomen & ratio; vapor enim fit ex aquâ, mistum ex simplici. (3. Nubes est meteorum. Tum, autem cum Aquæ S. C. nascerentur, meteora necdum fuerunt, quia hæc fiunt simpliciter beneficio Stellarum, quæ demum quarto die productæ sunt. Gen. II. 5. dicitur expressè, Deum nondum pluuisse super terram. Ergò nondum præstò fuerunt nubes. (4. De Expanso dicitur, quod sit celum, & quod Deus 4to demum die in hoc posuerit stellas, & quod debeat dividere aquas ab aquis. Malè ergò עֲרֵב per *aerem* interpretatur; præsertim cum nullus Scripturæ locus possit proferri, ubi עֲרֵב significet aerem: neq; in superiori aeris regione dari aquas, magistra experientia edocet. (5. Nubes parum distat à terrâ. Expansum autem illud est nè minima quædam & exigua pars aeris nostri, super quo inveniuntur nubes? N. Quo die ergò fecit Deus celum sidereum, eodem facta etiam regio suprema aeris est. Utrumq; autem fecit die altero: utrumque vocatur etiam Expansum, non ratione essentia & substantia suæ, sed ratione officii. Expansi enim appellatio (sicut & Elementi) non absoluta, sed respectiva est. Eâ nempe causâ & fine, ut esset quoddam quasi interstitium inter aquas supracelestes & subcelestes. Neq; potest proferri dies alia, quàm condiderit Conditor celum & supremam aeris regionem, præterquam secundam. (6. Hæc ipsa aqua, quæ est in nubibus, ubi in pluviam resolvitur, à nobis calcari pedibus potest. Hæc aqua est nè supra-

præcelestis? Aut num vapores fiunt Aquæ S. C. si quando ascē-  
dunt, quæ antea fuerant subcelestes? Quin potius omnis aqua,  
quæ habetur in nubibus, est referenda ad aquas subcelestes,  
quæ à nobis adscendit, & ad nos quoq; revertitur. Patet proin-  
de hinc, tutius esse manere in sensu litterali, tametsi deinceps  
quædam dubia occurrant de usu aut loco illarum Aquarum su-  
periorum. De quibus postea.

§. 7. Regerunt tamen: Scopus Mosis iste fuit, ut visibiles  
modò creaturas describeret, non occultas. R. esto: Tamen &  
aquæ illæ in se sunt visibiles, utut actu ipso non videantur: un-  
de Moses cum opus secundi diei perfectè describere animum in-  
duxerat, has præterire non potuit; siquidem celi illa expansio  
ad discrimen utrarumq; instituta fuit. *Excipis*: Non dicitur,  
divisit aquas ab aquis, quæ erant, על רקיע sed quæ erant  
על רקיע הים desuper Expanso. Sensus ergò non est, aquas fu-  
isse eVectas super totum Expansum, sed fuisse eVectas sursum,  
ut unà cum Expanso essent supra & desuper. R. *Desuper* idem  
quod *supra Expansum*. Phrasin enim istam in pleonasmis e-  
legantioribus censet, & ejusmodi quædam & apud Græcos La-  
tinosq; in usu esse observat *Buxtorf. l. 2. Thes. Gramm. c. 20. p. 233.*

## THEMA II.

Aquarum Supræcelestium consideratio ad Physicam pertinet.

### I. κατασκευή.

§. 1. Dari Aquas S. C. probatum atq; evictum hætenus plus  
satis est: nunc cum neq; per notitias insitas, neq; per acqui-  
sitas ipsarum existentia (quæ nostra ab ultimis jam peccati pri-  
mordiis ignorantia & infelicitas summa est) nobis innotescat,  
sed ex divinâ Revelatione tantùm consent, ipsæ utrum Con-  
siderationis Physicæ sint, in controversiam venit. Quod non  
negamus: ad Physicæ enim subjectum spectant, neq; à censu  
corporum naturalium excluduntur. Itaque eodem jure, quo  
Physicus Aquas subcelestes considerat, eodem & Aq. S. C.  
ut universum adeò parentis naturæ latifundium exhauriat.

B

§. 2.

§. 2. Enimverò in hoc potissimè omnis dubii cardo vertitur, An etiam licitum sit Mundi Interpreti citare aliquando Scripturam, & exinde probare has Aquas S. C. R. Aff. Nam & Scripturam Physicus debet admittere: quippe quæ & ipsa de rebus naturalibus benè plurima præcipit, quæ sunt assumenda à Physico.

II. *Ἀνασκευή.*

§. 3. Neq; tùm falcem in alienam messem mittit, aut *Μεταβάσειν εἰς ἄλλο γένος* committit. Subjectum enim sibi commissum explicat, Medium Terminum ac probationem undecumque potest petit. Quàm multa Aristoteles didicit à piscatoribus & venatoribus Magni Alexandri; nec tamen hinc sive piscator sive venator audit. Et sicut ille non statim Ethnicus est, qui ex Ethnicorum didicit docetq; libris, quatuor esse elementa, ignem esse calidum & siccum, terram esse gravem & aerem levem: ita quoq; non statim Theologus est, neq; falcem in Theologicam mittit messem, qui ex scripturâ didicit docetq; formas omnes in primavâ Creatione à DEO fuisse factas, & aquas repereri etiâ supra omnes celos; quod nonnullo in loco & Excell. dn. Sperl. monet.

§. 4. Et quid est illa *μετάβασις*? Ajunt (1) *Μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος* fit, ubi de materiâ alterâ disputetur: quia nunc intelligendum hîc est Genus Physicum. Ponamus hoc tantisper: Is igitur saltû in Physicis facit, qui v.g. cû debet loqui de corpore naturali, de carne Salvatoris loquitur; quia alia est materia. Physicus enim habet materiam purè naturalem: corpus Christi autem etîa etiam corpus verè naturale est, tamen non est purè naturale. Applicemus hoc. Cùm Physicus ea assumit, quæ de Naturalibus proponit Scriptura, quod deus fabricatus est omnia, quod inveniuntur Aquæ S. C. mutatnè materiam? minimè. Nam & aquæ S. C. sunt ipsa C.N. Ajunt (2) *Μεταβάσις* fit, ubi ex unâ disciplinâ fit saltus in aliam. Esto! At ubi allegatur aliquid à Physico ex S. Codice, fitnè hîc saltus ex unâ disciplina in aliam? Sanè Scriptura non est disciplina, sed Liber tantû, neq; certus aliquis habitus principalis intellectualis. Spectat enim potius ad Quantitatē, quàm ad Qualitatem: aliudque est  
Theo.

Theologia, aliud Scriptura. Physico quidem non competit haurire aliquid ex Theologiâ, quippe quæ alio Objecto gaudet: In Scripturâ autem non tantùm res fidei traduntur, sed & res multæ naturales, immò Juridicæ, Historicæ quoq; Chronologica, aliæ. Ut ergò Chronologi *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* non faciunt, cùm inde tempora supputant, nec Jcti, cùm ex præscripto Mosaico pœnas suppliciaq; facinorosis imponunt: ita nec Physicus. Modò in suo subjecto maneat, i. e. loquatur de C. N. Jam quia hæ Aquæ S. C. sunt corpora naturalia, jure tractamus in Physicis. Sed *objiciunt*: Ubi cunq; fit processus ex alieno principio, ibi fit *Μετὰ*. Hic. E. Probantur enim hæ Aquæ ex alieno & peregrino principio, nempe Scripturâ, non ex domestico, nempe Naturâ, ubi res Ratione juxta & sensu, tû à priori, tû à posteriori indagam9 & cognoscim9. *Resp.* Cōcedim9 & nos illa cognoscēdi principia. Certè fōs ac fundus omnis humanæ invētionis & cognitionis hætenus fuerūt hæc duo habita: unde magni Sennerti *ἡ μακαρίτης* Scitum perpetuum: *Λόγος καὶ αἰσθησις*. Sed enim quandoquidem non semper tam acutis sensus, tamq; sagaci ratione præditi sumus, ut omnia singulaque Naturæ opera tûm à priori, tûm à posteriori cognoscere possimus exactè, nobis ad duo jam recitata media principiaque probandi accedit & suppetias venit tertium, quæ est Scriptura: hanc arripimus avidi, & Res ipsas quoq; Naturales ex eadem cognoscimus, non rarò longè melius feliciusq; ac ex Physica. Quare ubi sensus & Ratio desinit, ibi illa incipit. Neq; tamen utimur tûm principio alieno, sed proprio. Quantumvis enim Scriptura principium Theologiæ dicatur aliàs proprium, non tamen id accipiendum in quarto, sed in secundo modo: ita quidem ut ex illâ omnes Theologicæ Conclusiones probari possint ac debeant, sed non solæ. Nam cui bono aliàs de Naturalibus tot paginas tamque sollicitè scribi curâisset Naturæ auctor, nisi & ex Scripturâ suâ nos informari de Naturâ voluisset?

§. 5. Prætereà ad Testimonia provocare omnibus integrum est. A testimonio autem divino rectè intellecto & allegato appo-

appositè necessaria est consequentia tùm affirmativa, tùm negativa. Unde verissima & perpetua collectio: Q. testatur Scr. S. id est acceptandum. Hoc. E. Sed unde isthæc argumentandi ratio petita, quæritur, & qualis sit ejusmodi Syllogismus? R. Largimur equidem non inviti ambabus, quod dicitur, manibus, Syllogismum isthunc neque Topicum esse; is enim ad auctoritatem humanam spectat: neq; Apodicticum, cum hîc nullæ dentur Demonstrationes sive τῆς ὄτι, sive τῆς διότι, sive à priori, sive à posteriori. Tamen est aliqua Demonstratio, sed in gradu eminentiori: & longè plus probat talismodi Syllogismus, quàm ulla alia firmissimam ἀποδείξις, majoremque habet firmitatem & veritatem. *Instas:* Dabitur ergò tertia Argumentandi Species, quæ neque sit Topica, neq; Apodictica, sed media. R. Quid tùm? Multiplicatis enim Entibus multiplicandæ quoq; notiones. Quod In simili planè negotio *CL. Gutkii* scribit *Hab. Intellig. P. Gen. c. 4. ax. 10. Multiplicatis rebus etiam termini multiplicari possunt.* Quæ enim aliàs dantur Argumentationum genera, ad vulgarem demonstrandi modum tantùm pertinent, cum affectio scientifica de subjecto scientifico per causam necessariam, proximam & adæquatam demonstratur: ut cum risibilitas per rationale demonstratur de homine. Hîc verò est Demonstratio eminentissima, firmissima enim & inconcussa datur veritas, proindeque datur etiam alia notio. Id quod jamdudum ætatem & ante nos viderunt Virorum eruditissimi. *Lassius* certè dixit, non pertinere ad Topicam ejusmodi Argumentationes à divino Testimonio, sed reducendos esse ad ἀποδείξις, lib. IV. Dial. Et supra commemoratus *Gutkii* eandem in rem *Logic. Div. lib. II: cap. VI. Loco XIX. p. 487.* Ut facile concedo, inquit, dari locum à testimonio, ita divinum testimonium argumentum inartificiale esse non permitto. Quia testimonium hocce est ipsa divina veritas, &c. Et ita firmitus rem probat, quam omnes omnium scientiarum demonstrationes. Inventores contrariæ assertionis statuit ibidem *Ethni-*

Ethnicos, sæpe à Diis suis deceptos, quod exemplo Croesi illustrat, unde infallibile argumentum ab auctoritate Deorum petere nequiverunt. Meritò igitur ac rectè ut multa alia, ita & Aquas S. C. probatum imus ex Scr. Sacrà tanquam infallibili probandi medio (quòd Aristoteles applicare haut potuit, cū vel ignoraverit, vel à se spreverit) non tanquam ex normâ aliquâ partiali. Norma enim semper totalis esse debet, & Controversiarum quidem Physicarum normâ Natura est, non Scriptura. Una unius rei norma: quæ non certa modò ac infallibilis sit, verùm etiam homogœnea suo normato & adæquata.

### THEMA III.

Aquæ Supræcelestes sunt corpus naturale simplex, celum undique ambiens, ex primâ Aquarum divisione ad DEI gloriam & universâ integritatem ortum.

#### I. κατασκευή!

§. 1. Essentiam ipsam Aquarum S. C. cū pleniùs nihil exhibeat ipsâ Definitione; quippe quæ essentiam rei cujusque representat, secundum illud *Ar. l. 1. Top. c. 5. §. 2. Ορισμὸς ἐστὶ λόγος ὁ τὸ ἢ εἶναι σημαίνων*: definitionem quoq; ipsam & proponere, & propositam exponere placuit.

§. 2. *Definitum* sunt *Aqua Supræcelestes*: qui Terminus re & significatione incomplexus est. Dicuntur *Aqua*; Conveniunt enim & aqua infræcelestis & supræcelestis quoad Prænomen & Essentiam, quoad officium disconveniunt. Dicuntur *Supræcelestes*, ad differentiam nempe Aquæ infræcelestis seu elementaris.

§. 3. *Definitio* constat *Genere & Differentiâ*. Genus est *Corpus naturale simplex*. Corpus quidem est *Aqua Supræcelestis*, quia

quia materiâ & Formâ ; *naturale* ; quia naturâ gaudet : *simplex* ;  
nam simplicem habet materiam , quam & Elementum Aquæ  
habet, mixtionisq; expers omnis est. *Differentia* petitur partim  
â *Loco* , partim ab *Origine* , p. à *Fine*. *Locus* indigitatur per hæc  
verba : *Celum undiq; ambiens*. *Locus* ergò Aquarum istarum su-  
pra celum ultimum & circa celorum convexa est. Falsum pro-  
inde, quod communiter non tantum dicitur, sed & mordicus  
defenditur; Cælum tegit omnia. Aquæ S. C. potius tegunt o-  
mnia : hæ enim & quod celare creditur omnia celum celât, am-  
plissimâq; suâ mole lambunt & ambiunt. Temeraria enim au-  
daculorum Apellarum de Aquis nostris assertio est, confirmans,  
triginta vicibus plus aquarum esse supra firmamentum quàm in-  
fra firmamentum , sed ipsas à celo tantundem distare, quantum  
ab illo distent Aquæ inferiores Quis enim ater an albus Genio  
hoc ipsis revelavit ? Aut quis eorum Pegaso supra celos ~~vectus~~ i-  
sta vel vidit vel mensus est ? *Origo* his Aquis ab illa Aquarum di-  
visione est, quam descriptam dedit Spiritus domini in opere  
secundi diei *Gen. I. 6. & 7.* Scilicet Aqua in primâ Creatione  
fuit aliquod Totum Integrale, quod per hanc Divisionem fuit  
dissectum quasi in duas partes majores, ubi tamen adhuc Aquæ  
natura in utrâque parte mansit integra. Divisio enim Aquas  
non destruxit, sed separavit saltim *Locisq;* discriminavit. Et  
sicut cum lapidem frangimus in plures partes, hæc divisio natu-  
ram lapidis haut tollit : ita mansit tum quoq; adhuc Aquarum  
essentia, licet aliqua ultra celos elevata, & aliqua, sub celis lo-  
cata fuerit. *Locus* enim non potest ipsas naturas tollere. Li-  
cet enim alius sit locus aeris & ignis in Terræ cavernis conclusi,  
& alius nostri hujus, non tamen hinc datur ipsius naturæ ignis  
aerisvè diversitas. *Finem* eumq; Universalem fecimus gemi-  
num, *Gloriam* dei ac *Universi* integritatem. Prior proba-  
tur tum in genere ex *Proverb. XVI. 4.* ubi : *Omnia propter semet-*  
*ipsum operatus est Dominus* : tum in specie ex *Pf. CXLIX. v. 4.* u-  
bi *Regius Psaltes* harum Aquarum tanquam matricæ laudis di-  
vinæ gloriæque mentionem iniecit. Posterior itidem in ipsâ  
Solis



Solis mensa est, nec probatione operosa indiget. De Fine Particulari, ad quem tanquam Bonum proprium, ut Creatura cetera, ita & hæ Aquæ tendunt, in hac humanæ mentis caligine, NON LIQUET. *Damasceus* tamen, quem *B. Meisnerus l.c. æmulus* est, duos particulares fines *l.2. de O.F.c.9.* cum aliis Patrum, in medium affert, ardoris siderum refrigerium & celorum contra ventorum impetus munimentum. Sed verò Astra sive *ἄστροι* & formaliter esse calida, sive motu quoq; quantūlibet velocissimo calefieri, negatur omnimodè, unde nec illæ Aquarum temperaturâ opus habent. Celi autem benè firmi creati sunt, nulliq; venti ipsos feriunt, quod vel ex Meteorologiâ constat. Neq; fortassean delendis Antediluvianis Aquæ evectæ & repositæ sunt, ut *Epiphanius* autumat, tempore Diluvii eas debuisse descendere docens, & per cataractas celi apertas *Gen. 7. & 8.* Aquas S. C. intelligens. Malè. Nam alias rationes ut transeam, Firmamentum unâs aquas ab alteris debuit secernere, quod officii ad tempus non retinisset, si *Epiphanius* sententia stat; nam fuisset disruptum. Nos igitur *ἄστροι* malumus, quibus modestæ *Scaligeri* sententiæ in mentem venit ex *Exerc. CCCVII. 29. Humane sapientia pars est, quædam equo animo nescire vellet.*

## II. Ἀναστρού.

§. 4. *Henr. Nollus* Philosophus Hermeticus *Phys. Hermet. L. II. c. 2.* citatus *DN. SPERLINGIO Instit. Phys. Lib. III. c. 2.* de his Aquis multa mira mysteriaq; sed ficta garrit. Statuit Aquas S. C. in huc usum pronatas, ut in regione supremâ sint, atq; constituent *Schamajim* sive celum tertium supra *Empyræum*, adeoq; conjungi cum aere & igni supercelesti: Esse *Thronum Dei*, esse habitaculum omnium Angelorum, Sanctorum piorumq; hominum, esse verum *Paradisum*, in quem positus fuerit *Adam* ante lapsum, influxum quoq; earundem in *Lapidem Philosophicum*, quem vocant, asserit. Conf. *Cornel. à Lapide Comm. Epist. ad Ebr. c. 8. v. 2. p. 900. col. 2.* Sed inanibus pigmentis & figmentis onerat

aures



aures nostras. *Celum Empyreum* splendidum Scholasticorum & Calvinianorum figmentum est, quo de tota Scriptura & Natura tacet, unde tamen aliàs novimus, quicquid novimus. Quà causâ illud pari facilitate ac ratione, quâ adducitur, rejicitur. Per *celum v. tertium* in Litteris sacris intelligitur summum Hebraismo: Ternarius enim numerus significat omnia & complementum rei, aut ipse *Cornel. l. d.* Quod in lapidem Philosophicum Aquæ istæ influant, dubium, si non prorsus humani cerebri commentum est: quod Thronum Dei, Angelorum, sanctorum, Adamiq̃ue Paradisum constituent, multò omnium falsissimum. In summâ: Recitasse hæc est refutasse. Influxum tamen Mundi superioris in Inferiora hæc cum nemo inficias ire possit temerè, Aquis etiam Supræcelestibus quò minùs aliquam influentiam in Mundum Inferiorem tribuamus, quid vetat? Unumquodq̃ enim est propter suam operationem, alioqui frustrâ esset, ut habet *Aristot. l. 2. de Celo c. 3. t. 17.* Ad quem ipsum locum, *Conimbricenses Q. 2. a. 1.* rei fictitiæ rationem dant optimam: Si *celum Empyreum* nihil inslueret, inquirunt, non esset pars Universi, quod absurdum est. Bene. Modò non pro non-ente, sed Corpore Nat. hoc argumenti robore usi essent. ὁ Θεὸς ἔχει ἢ Φύσιν ἢ δὲν μὲν τῶν ἄνω, ait idem *Arist. l. 1. de Celo c. 4.* Idipsū urget *2. Phys. c. 8. & 1. Polit. c. 2.*

§. 5. Frustrâ autem est Scepticus & Scopiticus *Keckermannus*, quando *Syst. Phys. lib. VII. p. 820. m.* scribit: Ad quem finem queso Deus Aquas supra Firmamentum collocasset? nam (1. id est contra naturam & proprietatem aqua: (2. ad quem finem ibi DEUS aquas, tanquam piscinam collocare debuisset: nam quod incendiam à corporibus celestibus nobis metiamus non est &c. Verùm si propterea res istæ negandæ, quarum specialem finem ignoramus, cur non etiam negamus lapides, muscas, culices & pulices. *Regeris*: Lapidis usum ratione ædificiorum cerni. R. (1. Hic est usus communis: (2. de fine queritur: aliud autem est finis, aliud usus. (3. queritur de speciali fine hujus lapidis.

pidis, qui non habeatur in ullo alio. Sicut novimus specialem finem hominis ex potissima ejus facultate: ita & hic & iste lapis, ob suam, quâ gaudet, formam specificam, specialem quoque finem habeat necesse est. Scitè *Mendoza* apud *CL. Sperl. l. Rogas*, inquit, *cui fini aqua ibi serviant? Sed quid me rogas? Roga eum, qui eas illic voluit esse; qui si voluisset, ane honesto & optimo sine careret?* Et mox: *At inquis, nescimus, quonam pacto ibi sint: sed scitis, qui eas ibi reposuit. Neq; enim, Scripturam nostram captu metiri, sed nostram mentem Scriptura debet captivare, & redigere in obsequium.* Itaq; à nostrâ ignorantia ad rei negationem N. V. C. Etenim *multa sunt, quæ esse credimus, qualia sint, ignoramus*, more suo, h. e. sapienter censet Romanus Sapiens lib. VII. Natt. 29. c. 24.

§. 6. De Loco Aquarum Supercelestium: contra naturam & proprietatem ipsarum non est, quod locatæ sunt in loco summo & supra Firmamentum. Deus enim in primâ rerum origine Mundum non ita condidit, ut statim posset labi, sed quod primo & secundo die fecit, hoc subsequis diebus perfecit. Nihil tùm spectabat aut vergebat ad destructionem & ruinam, sed omnia ad conservationem Universi. Iccircò & locus ille superrius, quem Aquæ tùm receperunt, facit ad conservationem Aquarû, & ipse locus est naturalis. Tùm erat auctor Naturæ Deus, sicut hodiè ejusdem Conservator omnipotès. Naturæ auctor Corpora Naturalia non locavit contra Naturâ, sed secundum naturam, non tamen juxta gravitatem aut levitatem suam. Equis enim dabit mihi diversitatem, cur Sol ad hunc locum relatus & ad alium Luna, ad alium Jupiter ac Mercurius? num, propter levitatem Jupiter in superiori loco, Luna ob gravitatem locata in infimo? Negant communiter, & Stellæ neque graves, nec leves, asserunt. Itaque voluntas Creatoris ubique est ratio facti, sive, ut cum *Bonaventura* loquamur: *Illud est naturale unicuiq; quod Creator ei indidit à primâ constitutione, l. 3. Sent. d. 14. a. 1. q. 1.* Nec magni momenti Objectio est: *O. grave descendit: Aquæ sunt graves. E. Nimirum Omne*  
C grave

grave, in loco violento repositum, per se, naturaliter & semoto omni obstaculo descendit. Jam in loco violento Aquæ S. C. non sunt; nullum violentum est diuturnum: neque descendere possunt ob interpositum Expansum. Quæ restant Dubia, ad conflictum publicum reservantur. Ob signamus totam hanc Disputationem ex voto Lud. Vivis Comm. in D. Augustini lib. XI. de Civ. DEI c. ult. gravissimâ & observatu præprimis digni augustissimi Patrum sententiâ l. 2. de Gen. ad lit. c. 5. Quoquo modo & qualeslibet aquæ ibi sint, eas esse ibi minimè dubitemus: quia major est hujus Scripturæ auctoritas, quàm omnis ingenij humani capacitas.

## GLORIA TIBI DOMINE!



**C**um natura fugit, facies in mille repente  
Cum se convertit, mens generosa gemit.

Sed scriptura levat curas, minuitq; labores,  
Doctrinisq; animos imbuit egregiis.

Hoc pulchrè monstras. Age nunc, conscende cathedram,  
Et bene collectas divide mentis opes.

JOHANNES Sperling/

P. P.

Est



**E**st aqua, quæ supra coelos ceu pendulus hortus  
 Conditæ, ut hîc laudes prædicet illa DEI.  
 Quam tua pro cathedrâ recitabunt scripta; tuere  
 Graviter! Ingenium sic coluisse juvat.

*Dn. Respondenti gratulaturus  
 scrib.*

**M. JACOBUS Reichman/**  
 Colleg. Phil. Adj.  
 S. S. C.



*Eximio Eruditissimoq;*

**DN. RESPONDENTI,**  
 Philosophiæ Candidato solertissimo, Fautori & Amico  
 Honoratissimo

**FELICITER!**

**S**i quando, in tenui cui sumitur ardua cura,  
 Non poenitendum consecutus est decus:  
 Perpes in hunc meritò nomenq; decusq; manebit,  
 Quisquis laborum mille & ultra decorat.  
 Ergò tibi ex animo præclaros gratulor ausûs,  
 Quos carta præsens pauca, sed gravis, docet.

*Præ-*



*Premultis tantò sequitur te gloria major,  
Materia quantò major est, quam disputas.  
Te bonè! Perge! Brevis veniet tibi digna merenti  
Phebea, Laurus æviternum præmium.*


L. M. Q. acclamab.

PRÆSES.

FINIS.











X 2615909

VD 17







Q. D. B. V.  
*De*

# AQVIS SUPRA- CELESTIBUS

EXERCITATIO PHYSICA.

*Quam*

In Illustri Academia Wittenbergensi

A. D. xv. Martii A. C. cl<sup>o</sup> lxxiv.

P R Æ S I D E

M. CHRISTOPHORO POMARIO,  
SILESIO,

*Disquisitioni publica exponet*  
RESPONDENS

CHRISTIANUS EHRENSHUSI

Craulâ Thuringus.

*In Auditorio Minori, Horis matutinis.*

Ex Chalcographéo JOHANNIS HAKEN.